

cujuscunque quocunque nomine censeatur, et que dici vel excogitari possit, qua seu pro qua dicte civitas et castra, communia, terre, et homines forent quocunque et qualitercunque dicto domino duci et communi Veneciarum obligati vel quomodolibet tene-rentur, liberantes et absolventes nos notarios infrascriptos, tanquam personas publicas stipulantes et recipientes nomine et vice predictarum civitatis, castrorum, communium, universitatum et singularum personarum earundem a predictis omnibus et singulis per acceptillationem et aquillianam stipulationem verbis legitimis et solepnibus interpositas. Facientes nobis dictis notariis, ut supra recipientibus de predictis omnibus et singulis finem, quietationem, omnimodam liberationem et pactum de ulterius non petendo. Promittentes nobis dictis notariis ut supra stipulantibus et recipientibus, nec non predictis venerabilibus et egregiis sindicis, actoribus, procuratoribus, ambaxiatoribus et nunciis specialibus dicti domini vicedomini Ecclesie et capituli Aquilegensis et patrie Forijulii nomine et vice dicti patriarchatus et Ecclesie Aquilegensis recipientibus, quod nulla in perpetuum lis, causa, molestia, controversia vel requisitio fiet vel movebitur contra dictas civitatem, castra, communia et personas nec non contra dictum dominum Patriarcham et Ecclesiam Aquileensem in judicio et extra, de jure nec de facto, publice vel occulte, directe vel per indirectum. Exceptis et reservatis a predictis omnibus et singulis prestatione annua illius quantitatis vini, ribolei et olei, que per dictos Venetos et commune Veneciarum regalia appellantur. Que dicta civitas et communitas Tergesti dicto domino duci et communi Veneciarum solite et consuete sunt prestare, antequam dominus dux et commune Veneciarum haberent dominium et possessionem et tenerent civitatem Tergesti, que prefato magnifice domino duci et communii Veneciarum prestari debeant, predictis non obstantibus, prout et secundum quod commune Tergesti consuetum et solitum erat prestare antequam commune Venetiarum teneret et possideret dictam civitatem Tergesti. Et excepto eciam quod dictis domino